Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

8 Votum, ut sit validum, co[n]siderata tantummodo persona voventis, tria requiruntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Visual Library

quæſt. 4. *c. quando, de jurejur.* & Graff. *c.* 21. *num.* 7.

8 Ad voti validitatem † conſiderata tantummodo perſona voventis, tria requiruntur, videlicet, rationis deliberatio, propoſitum voluntatis, & promiſſio, in qua voti ratio perficitur, quæ tria non multa indigent deliberatione, ſed ſubitò fieri poſſunt. Sylveſt. *in verb. juramentum*, 4. *n.* 9. quem ſequitur, Graff. *eod. cap. num.* 2. ſed non omnes habent poteſtatem vovendi, quia ſex genera perſonarum vovere non poſſunt.

Primò, † Epiſcopus votum, per quod
9 vinculum inter ipſum, & ſuam Eccleſiam contractum diſſolvatur, emittere prohibetur, nec etiam aliud, per quod eccleſiæ ſuæ graviter præjudicetur, unde votum peregrinationis, per quod diu ab eccleſia ſua abeſſe deberet, ſine licentia Papæ emittere non poteſt, *cap. niſi cum pridem, in fin. de renunciat. cap. ſicut noſtris*, & ibi gloſ. *in verb. in damnum, de jurejuran. cap. magnæ, de vot. & vot. redem. & cap. licet, de regul.* emittere tamen poteſt votum abſtinentiæ, & eleemoſynæ, ac omne votum, per quod bonum præbeat exemplum, *d. c. magnæ*, Hoſt. *in ſumm. de vot.* §. *quis vovere poſſit num.* 7. & Graff. *deciſ. aur. cap.* 12. *nu.* 13. *par.* 2. *lib.* 2.

Secundò, † monacho non licet vovere
10 ſine conſenſu ſui Abbatis, & ſi voverit irritandum erit, *cap. voto.* 20. *quæſt.* 4. & S. Th. 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 8. ſimiliter nec Abbates ſine conſenſu ſuorum ſuperiorum, Abb. *in cap. ſcripturæ, in fin. de vot.*

Tertiò † nec clericus ſecularis votum
11 peregrinationis ſine ſui Epiſcopi conſenſu emittere poteſt, ſed votum continentiæ, & religionis eidem emittere licet, *cap. duæ ſunt.* 19. *quæſt.* 2. *cap. non oportet, de conſecr. diſt.* 5. Innoc. *in cap. ſcripturæ, num.* 3. & ibi Abb. *num.* 9. *de vot.* præſertim, ſi habet beneficium, quod perſonalem reſidentiam requirat, *cap. admonet*, ubi etiam gloſ. *in verb. in conſulto de renunc.*

12 Quartò, † vir, & uxor non poſſunt vovere abſtinentiam, vel peregrinationem, unus ſine conſenſu alterius, excepto voto peregrinationis ultramarinæ, quod viri, & mulieres altero invito, ſi ſunt potentes, facere poſſunt, Innoc. *in d. cap. ſcripturæ, n.* 3. *verſ. vir autem*, & ibi Abb. *num.* 8.

13 Quintò, † vovere validè non poſſunt impuberes ſine tutoris, vel patris auctoritate, *cap.* 1. & 2. 20. *quæſt.* 2. nec pubes filiusfamilias, excepto voto religionis, quod liberè emittere poteſt, ſine conſenſu patris, Hoſtienſ. *in ſum.* §. *ſi quis vovere. num.* 7. *verſ. ſed nunquid, de vot.* ſed ad profeſſionẽ emittendam, hodie non ſufficit pubertas, quia religionem nemo profiteri poteſt ante annum decimum ſextum expletum. Conc. Trident. *cap. de reg. & monia. ſeſſ.* 25.

14 Sextò, † nec ſervus vovere poteſt quicquam, quo minuatur ſervitium domini, *cap. ſi ſervus* 54. *diſt. cap. mulieres, & cap. relatum, de ſentent. excomm.* & Innoc. *in dicto cap. ſcripturæ, num.* 3. & nemo poteſt
15 per votum † ſe firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubjicitur, ſine conſenſu ſui ſuperioris. *Num. cap.* 30 Quod autem non poſſit quis per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius, ſed ad id tantùm, quod eſt in ſua poteſtate, quoniam, qui eſt ſubjectus alteri, quantùm ad ea, in quibus eſt ſubjectus, non poteſt facere, quod vult, ſed dependet à voluntate alterius, quapropter ea

ratione

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN